



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CCLV. Ioannis Papae VIII. Ad Carolvm Regem. Laetatur de eius  
incolumitate, Deumque orat, vt omnia ei prospere eueniant. nuntiat  
Sarracenos a Graecis victos, seque a Sarracenis, & aliis etiam ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

## EPISTOLA CCLV.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD CAROLVM REGEM.

Lætatur de eius incolumitate, Deumque orat, vt omnia ei prospere eueniant. nuntiat Sarracenos a Græcis viatos, seque a Sarracenis, & aliis etiam valde premi: quare petit, vt sibi quam citissime auxilio veniat.

*Carolo glorioſo regi.*

**S**VSCPTIS gloriae vestræ, spiritualis atque desiderabilis fili, nobis directis apicibus, atque relectis, quia vos, Deo gratias, sanitate vigore cognouimus, ineffabili, & ultra quam dici possit iucunditate refecti, in Domino gratulati sumus: & vt magis ac magis vobis Dominus Deus noster prosperitatem tribuat, triumphum de aduersantibus concedat, & felicia tempora ad regnum pacifice, atque iustissime disponendum multiplicet, continuis votis eumdem Dominum deprecamur. *Quia nihil est omnino, fili carissime, nobis dulcior, nihilque amabilius, quam vt vos semper ad defensionem, & exaltationem sanctæ matris vestræ Romanæ ecclesiæ cognoscamus esse promptissimos;* & eis qui eam diuersis modis impugnant, libera correctionis, ac disciplinæ sententia contraire. Nos autem licet in innumeris infirmitatibus, atque angustiis constituti, Deo gratias, vt cumque valemus: sed tunc potius nostra sanitas erit, si vos omni prosperitate, vt diximus, pollere cognouerimus; & ad nobis conferendum solatium festinanter occurrere, vt alterna visione loquamur, non pati moras aduertimus. Ceterum, quod dicitis vt Liutvardum venerabilem episcopum communem fidelem nostrum ad nos præmittatis, valde in Domino gratulamur: & cum eum pro communi utilitate semper desudare cognouerimus, magnum nobis gaudium in aduentu illius nascetur, eo quod in ipsis præsentia vestram intuebimur excellentiam. Postremo, fili carissime, quod sciscitamini de Græcis, atque Ismaelitis, & ceteris quibusq; exteris nationibus, vel conciubis, qualiter res agatur, breuissime respondemus. Sed vt hæc omnia ex intimo corde, atque dolenter aduertatis, omni mentis conamine exhortamur: tamen Deo sint gra-

*Concil. Tom. 24.*

Pp ij

tes & laudes, quia Græcorum nauigia in mari Ismaelitarum victoriosissime strauerunt phalanges, & eos, prout Dominus voluit, debellati sunt. Sed nos tamen tam ipsi iam dicti Ismaelitæ, quam alii conciues nostri impugnat, ac persequuntur, ut extra muros vrbis nullatenus, vel qui labore manuum suarum viuere valeant, vel qui, ut ita dixerim, Christianitatem suam, sicut decet, obseruent, egredi libere possint: ac per hoc, imo pro his omnibus, si citissime, & omnibus occasionibus, omnibusque excusationibus postpositis, & contemptis, ad omne nobis, & huic regioni valde afflictæ conferendum solatium non veniris; procul dubio scire potestis, quia ad peccatum vestrum, & damnum omnium hæc terra peribit. Vnde pro Deo festinanter iter ad nos veniendi assumite, & ut bella Domini vice illius præliemini, ad beatorum apostolorum limina, Deo præduce, pro Christianorum omnium auxilio properate. Data III. Kalendas Nouembbris, indictione XIV.

## EPISTOLA CCLVI.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD ANSPERTVM ARCHIEPISCOPVM  
MEDIOLANENSEM.

Inobedientiæ eum arguit, præcipitque, ut Rhodoaldum,  
& Vvarlenum monachos, quos in iuste in carcerem  
coniecerat, ad eorum monasterium  
honorifice remittat.

*Ansperto archiepiscopo Mediolanensi.*

**D**ECVERAT te, frater carissime, pura animi sinceritate eam reuerentiam, eumque honorem sanctæ sedi apostolicæ, cui Deo auctore præsidemus, quotidie impendere, quæ vsque ad tua tempora omnes tui prædecessores laudabiliter viuentes, huic ecclesiæ obtulerunt prona mentis deuotione. Pro qua re eius gremio suscepti, quidam præ nonnullis amore dilecti sunt: sed ecce, quod sine dolore dici non potest, nescio qua antiqui hostis fraude, a die ordinationis tuæ, & tempore senectutis, contra sanctam Romanam ecclesiam matrem tuam non destitisti nunc inobediens, nunc dolosus te patefacere: qua necessitate compulsi, te corripere apostolico flagello opera pre-